



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim
Consideratum

Gibert, Jean-Pierre

Coloniæ Allobrogum, 1735

Observationes in Cap. XIX. De Actione ad Dissolutionem MATrimonii,
ejusque Accusatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

Num. 21. meram repetitionem continet & falsus est, si agatur de Impotentia relativâ, aut naturali, aut ex maleficio.

Num. 22. machinatio in vitam conjugis, ut plurimum, sequela est Adulterii, vel Cupiditatis immodicæ, alium sibi adfiscendi: idem de hoc casu est, ac de sollicitatione ad crimen, quæ est machinatio in vitam spirituales.

OBSERVATIONES in CAP. XIX. de Actione ad dissolutionem Matrimonii ejusque Accusatione.

Observare juvat in hoc Caput & in præcedens, quod, inter Christianos, Divortium Matrimonium dissolvens prohibeatur, iique hoc in Capite differant à Paganis, & Judæis, inter quos licitum erat. Divortium nuncupamus separationem Conjugum, quæ eos invicem colligatos relinquit. Ad hanc separationem justa causa requiritur, Ecclesiæque autoritas: alia sine alterâ non sufficit. Ecclesia Conjuges copulat; æquum est, ut illos dividat: unio justa est, & publica; oportet, ut separatio similis sit: talis esse nequit sine justa causa: Partes nequeunt esse Judices in suâ Causâ: oportet igitur, ut Judicem habeant, quod nemini magis, quam Ecclesiastico convenit. Præterea, causæ pleræque separationis, sunt crimina: putâ Hæresis, Adulterium, Discordia, Sævitiæ, Machinatio in vitam Conjugis: proinde separatio est poena: requiritur Ministerium alicujus, qui illam pronuntiet, aut declaret, eam in circumstantiis occurrentibus habere locum: notorietas à Judicis interventu dispensare non potest, quippè quæ probari debeat. Principia hæc necessària sunt ad intelligenda hæc duo Capita, sed maxime postremum hoc.

Hic aliquot repetitiones occurrunt, & ordo negligitur in quibusdam Quæstionibus. Sponsalia quoque cum Matrimonio confunduntur, quamvis agatur solum de Matrimonio: confunditur etiam vera Matrimonii dissolutio, cum eâ, quæ speciosa est tantum, & cum simplici Conjugum separatione. Caput in QUÆSTIONIBUS IV. dividitur. *Quæst. I.* respicit causas Actionis, quæ sunt eadem, ac dissolutionis causæ; idem est, quoad exceptiones, ut fatetur Autor, ideòque remittit ad Caput præcedens, adjiciendo solum quasdam Exceptiones generales & communes. Prima est, si agatur de Matrimonio contrahendo; tunc enim Accusatio non habet locum, sed mera denunciatio. Verùm hæc Exceptio non convenit Argumento; nam hoc Caput, nec non præcedens, respiciunt Matrimonium contractum.

Secunda est, si Conjugum alter ab alio relictus fuerit; tunc enim restituendus est, priusquam discutatur causa, ob quam, separationem postulat; nisi 1. agatur de Cognatione, quam Desertor probare paratus sit, & præstet Juramentum de calumniâ. 2. Persona deserta Adulterium commiserit post separationem, quod in Jure confiteatur; sic enim juri suo renunciavit; 3. Nisi agatur de Matrimonio Infidelium, quorum, altero ad Fidem converso, alius cum ipso cohabitare recusat sine contumeliâ Creatoris; nam tunc Fidelis autoritate privatâ discedere potest.

Tertia est, si Reus sine culpâ suâ absit. Exponendo has Exceptiones, inseruimus Replicationes, quibus illa evaserunt clariore.

Quæst. II. Ad quem pertineat jus accusandi Matrimonii? Respondetur: illud ad Cognatos potius, quam ad Extraneos pertinere: hæc eis prælatio debetur ratione specialis interesse ipsorum. Accusatio fit vulgò per denunciationem Impedimentorum, sive antè, sive post Matrimonium, quæ, ut plurimum, magis à Cognatis, quam ab Extraneis cognoscuntur. Accusatio locum habet solum, cum silent Partes, & in casibus nullitatis Matrimonii. Quoad causas separationis, ipsæ Partes se invicem accusant, cum earum præcipuè interfit.

REG. I. *Quæst. III.* respicientis Judicem, malè con-

cipitur: dicendum erat, in Judice requiri scientiam Canonum; non verò, peritos Canonistas esse Judices ejusmodi Causarum. De notitia Legum filet, putans, has Causas judicandas juxta Canones: quod falsum; cum contrarium agnoscat ipsi Canones: 2. restringi debet ad suum tenorem expressum, nempe Judicium hoc pertinere ad Episcopum, non verò ad Abbatem. Magistratus Politicus hoc jus ab Ecclesiâ vindicat, cum separatio Corporis inducit separationem Bonorum, quod vulgò fit, cum jungitur separationi habitationis, sæpè necessariæ, ad vitandos perniciosos effectus separationis Corporis statutæ in Jure.

Quæst. IV. respiciens accessoria Actionis, & probationem ejus, nihil ferè novi continet. Facta videtur ad majorem explicationem.

REG. VI. conjungenda erat REG. II. Ambæ respiciunt probationes Impotentia.

REG. III. IV. VII. pertinent ad probationes Cognationis; earum doctrina ad alias Cognationis species extenditur. *Quinque* Exceptiones REG. IV. reducuntur ad Qualitates Testium, quæ relatæ sunt LIB. II. videlicet. 1. Ut Juramentum præstent; duo sint ad minus; fide digni sint; stabiles in suâ depositione, ejusque sufficientem rationem reddant. Idem est de testimonio in casu Cognationis, ac de Accusatione Matrimonii: in simili casu Cognati aliis anteponuntur.

REG. quæ respicit Judicem Dotis, pertinet ad QUÆST. II. Cap. 20. quod legitur in fine de Denunciatione, observatum fuit in QUÆST. I. hujus CAP. XIX.

OBSERVATIONES in CAP. XX. de Jure Matrimonii dissoluti.

Quod observatum fuit suprâ, circa verbum hoc, *dissolvere*, suam, hic, applicationem habet; cum eodem sensu adhibeatur.

Caput hoc, magis Civile, quam Spirituale respicit, Conventiones potius, quam Sacramentum; proinde, Argumentum minus ad Canones, quam ad Leges pertinet: hæc enim Conventiones definire debent, & provide re earum executioni, ad quam pertinet Jus Matrimonii: nempe, restituito Dotis & Donationis propter Nuptias. Circa hæc, ut circa alias quaslibet, nihil ad Decisionem Canonicam pertinet, nisi quod Animam tangit, an sit peccatum, nec-ne; quatenus illud coram Deo, atque Hominibus reparandum sit, ubi scandalum peperit; quando damna præstanda veniant, aut secus; an poenæ contrariæ, aut conformes sint Legi Divinæ. In *Prima* Capitis hujus QUÆST. extant exempla rerum pertinentium ad Jus Canonicum quoad Divortium; in cæteris autem referuntur res ad Jus Civile competentes. Prioris generis exempla sunt, 1. poenæ spirituales latæ in Divortium injustum ob defectum causæ, vel autoritatis legitimæ REG. I. II. 2. Judicium de justitiâ aut injustitiâ Causarum. 3. Retractatio Judicii erronei, per Ecclesiam lati REG. IV. 4. Legimitas Liberorum antè, vel post Divortium natorum REG. III. 5. Validitas Secundi Matrimonii post Divortium contracti REG. V. nam judicium de vinculo, Ecclesiæ competit. Itaque, posito quòd Matrimonium prius manifestò nullum sit, aut contractum, omiſſis solemnitatibus ab Ecclesiâ præstitutis, Liberi sunt illegitimi; si prius ab Ecclesiâ nullum fuerit declaratum, posterius validum est: si Ecclesiâ decepta fuerit, ipsa errorem suum emendare debet.

REG. VI. continet exemplum posterioris generis; nempe divisionem Bonorum constante Matrimonio partorum. Legum Officium est, statnere, atque ordinare, quando locum habeat. Cum amissio Dotis & Donationis, sit poena temporalis, quemadmodum amissio Bonorum, stante Communionem, acquiritorum, temporalis est; utriusque Capitis Definitio pertinet ad Leges: unè fit, ut *Sex* Regulæ subsequentes exempla similia suppeditent; nam loquuntur de casibus, in quibus

Uxor